

» illi ad justitiam¹. » Quisquis imitatus fuerit Abraham, filius est Abrahæ: quisquis degeneraverit a fide Abraham, perdidit progeniem Abrahæ. Judæi degeneraverunt, perdididerunt: imitati sumus nos, invenimus. Audi quia illi perdididerunt: quid illis dicit Dominus dicentibus: « Fi-
 » lii sumus Abrahæ²? » Ausi sunt ostentare se, et erigere cervicem de nobilitate generis justi: et quid illis Dominus? Si filii Abrahæ essetis, facta Abrahæ fecissetis³. Si ergo perdididerunt ipsi quod filii sunt Abrahæ, invenimus nos ut filii simus Abrahæ. Credendo quippe invenimus, quod illi non credendo amiserunt. « Quia credidit Abrahæ Deo, et deputatum est illi ad justitiam⁴. » Et semen Abrahæ Christus, et in Christo nos sumus: et ex Israël populus, de quo populo Maria, de qua Maria Christus, in quo Christo nos, ergo filii Israël nos. Et quomodo addidit, ut discerneret nos? « Filiis Israël, populo appropinquanti sibi. » Attendite Judæos: si propinquant ipsi sunt. Et forte propinquant, dicit mihi aliquis: quotidie et ipsi cantant Psalmum, et cantant hymnos Dei. Non auditis quid eis dixit Propheta? « Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me⁵. » Si illorum cor longe est, nostrum autem cor proximum est; quia credimus, quia speramus, quia diligimus, quia Christo adjuncti sumus, quia membra ipsius facti sumus: numquid membra longe sunt a capite? Si essent longe, et divisa essent, non diceret: « Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi⁶. » Si separata essent, non de cælo diceret: « Saule, Saule, quid me persequeris⁷? » Si non in nobis esset, non diceret: « Esurivi, et deditis mihi manducare. » Et cum dicerent illi: « Quando

¹ Rom. iv, 3. — ² Joan. viii, 33. — ³ Ibid. 39. — ⁴ Gal. iii, 16. — ⁵ Isaï. xxix, 13. — ⁶ Matth. xxviii, 20. — ⁷ Act. ix, 4.

» te vidimus esurientem? » Respondit: « Cum uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis¹. » Ecce populus, ecce appropinquans Israël: et cum illo modo spe, postea re.

ENARRATIO

IN PSALMUM CXLIX.

Sermo ad populum.

I. LAUDEMUS Dominum et in voce, et in intellectu, et in opere bono: et sicut nos hortatur iste Psalmus, cante-
 mus ei canticum novum. Sic enim cœpit: « Cantate Domino canticum novum². » Vetus homo, vetus canticum: novus homo, novum canticum. Vetus Testamentum, vetus canticum: Novum Testamentum, novum canticum. In Veteri Testamento promissiones sunt temporales et terrenæ. Quisquis terrena diligit, vetus canticum cantat: qui vult cantare canticum novum, diligit æterna. Ipsa dilectio nova est et æterna: ideo semper nova; quia nunquam veterascit. Nam si bene consideres antiquum est hoc. Quomodo ergo est novum? Numquid, fratres mei, vita æterna modo nata est? vita æterna ipse Christus est, et secundum divinitatem non modo natus est: quia, « In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum. » Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil³. » Si quæ per ipsum facta sunt, antiqua sunt, quid est ipse, per quem facta sunt? quid, nisi æternus,

¹ Matth. xxv, 35, 37 et 40. — ² Psal. cxlix, 1. — ³ Joan. 1, 1-3.

et Patri coaeternus? Sed nos delapsi in peccatum, pervenimus ad vetustatem. Nostra enim vox est in illo Psalmo, ubi dicitur cum gemitu: « Inveteravi in omnibus inimicis meis¹. » Inveteravit homo per peccatum, innovatur per gratiam. Omnes ergo qui innovantur in Christo, ut ad vitam aeternam incipiant pertinere, canticum novum cantant.

II. Et hoc canticum pacis est, canticum hoc charitatis est. Quisquis se a conjunctione sanctorum separat, non cantat canticum novum. Secutus est enim veterem animositatem, non novam charitatem. In nova charitate quid est? Pax, vinculum sanctae societatis, compago spiritalis, aedificium de lapidibus vivis. Ubi est hoc? Non in uno loco, sed per universum orbem terrarum. Audi hoc de alio Psalmo: sic dicit: « Cantate Domino canticum novum, cantate Domino omnis terra². » Ex hoc intelligitur, quia qui non cum omni terra cantat, canticum vetus cantat, quaelibet verba de ore ejus procedant. Quid enim attendo quid sonet, cum video quid cogitet? Et tu, inquis, vides quid cogitet? Facta indicant. Nam oculus in conscientiam non penetrat. Attendo quid agat, et ibi intelligo quid cogitet. Neque enim si quisque, verbi gratia, comprehenderit hominem in furto, in homicidio, in adulterio, cogitationes ipsius in corde videt, sed in factis. Sunt quaedam, quae intus latent: sed sunt et multa, quae procedunt in opera, et manifesta fiunt etiam hominibus. Cum ergo essent illi, qui se a compage Christi charitatis et societate sanctae Ecclesiae separarunt, mali intus apud se, non noverat nisi Deus. Venit tentatio: separavit illos, et patefecit hominibus quod noverat Deus. Non enim fructus ostenditur nisi in factis. Unde dictum est: « Ex fructibus eorum cognoscetis eos³. » Dixit enim Dominus ad

¹ Psal. vi, 8. — ² Id. xcv, 1. — ³ Matth. vii, 16.

quosdam, qui ovium vestitu se induunt, intus autem sunt lupi rapaces: et ne forte fragilitas humana dignoscere non posset lupum sub ovina pelle, ait: « Ex fructibus eorum cognoscetis eos. » Querimus fructus charitatis, invenimus spinas dissensionis. « Ex fructibus eorum cognoscetis eos. » Ergo canticum eorum vetus est: cantemus nos canticum novum. Jam diximus, fratres, omnis terra cantat canticum novum. Qui cum omni terra non cantat canticum novum, dicat quod vult, linguis sonet Alleluia, dicat tota die, dicat tota nocte; non valde aures meae inclinantur ad vocem cantantis, sed quaero mores operantis. Interrogo enim, et dico: Quid est quod cantas? Respondet, Alleluia. Quid est, Alleluia? Laudate Dominum. Veni, simul laudemus Dominum. Si tu laudas Dominum, et ego laudo Dominum; quare in discordia sumus? Charitas laudat Dominum, discordia blasphematur Dominum.

III. Et vultis jam nosse ubi cantetis canticum novum? Quae dicturus est in ipso Psalmo, videte quomodo fiant, et ubi fiant; utrum per omnes gentes fiant ista, an in una aliqua parte terrarum: et hinc plenius intelligetis ad quem pertineat canticum novum. Jam quidem manifestum est illud, quod de alio Psalmo commemoravi, « Cantate Domino canticum novum¹. » Et ut ostenderet in canticum novo esse fructum charitatis et unitatis, addidit, « Cantate Domino omnis terra. » Nemo se separet, nemo se disjungat: triticum es, ferto paleam quousque ventiletur. De area vis excuti? Etsi triticum esses foris ab area, invenirent te volatilia, et colligerent te². Adde quia eo ipso quo discedis et volas, paleam te esse indicas: et quia levis eras, venit ventus, et de sub pedibus boum ablatus es.

¹ Psal. xcv, 1. — ² Matth. iii, 12.

Qui autem triticum sunt, ferunt tritiram; gaudent, quia grana sunt, gemunt inter paleam, expectant ventilatorem, quem cognoscunt redemptorem. « Cantate Domino canticum novum: laus ejus in Ecclesia sanctorum. » Hæc est Ecclesia sanctorum, Ecclesia frumentorum toto terrarum orbe diffusorum; per agrum Domini seminata, quod est hic mundus, ipso Domino exponente, cum de seminante diceret: « Quia homo seminavit bonum semen in agro suo, » et venit inimicus, et superseminavit zizania; et dixerunt servi patrifamilias: Nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde hic sunt zizania? Respondit ille, Inimicus homo hoc fecit. » Voluerunt colligere zizania, et compescuit illos dicens, « Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus, » Colligite primum zizania, et alligate fasciculos ad comburendum ea, triticum autem meum reponite in horreo. » Postea interrogaverunt eum Discipuli dicentes, « Narra nobis parabolam zizaniorum. » Et ipse exponit omnia, ut nullus homo cordi suo tribuat quod ibi intellexerit, sed Magistro cœli exponenti. Nemo dicat, Exposuit sibi quomodo voluit. Si parabolam Prophetæ exponeret Dominus, quando ipse per eos loquebatur quod dicebant; quis auderet dicere, non sic debere exponere? Multo magis quando ipse exposuit quod proposuit ipse, quis audet contradicere manifestæ veritati? Cum ergo hanc parabolam Dominus exponeret, ait, « Qui autem seminat bonum semen, est Filius hominis: se utique demonstrans. » Bonum vero semen, filii sunt regni » ipsa est Ecclesia sanctorum. « Zizania autem, filii sunt maligni. Ager est hic mundus¹. » Jam videte, fratres, quia per mundum seminatum est bonum semen, et per mundum seminata sunt zizania. Numquid in parte triticum, et in parte zizania?

¹ Matth. xiii, 24-30, et 36-38.

Per totum triticum, et per totum zizania. Ager Domini mundus est, non Africa. Non quomodo terræ istæ: Getulia fert sexagenum aut centenum, et Numidia fert denum: non sic est Deo ager suus. Ubique illi fertur fructus, et centenus, et sexagenus, et tricenus: tu tantum vide quid velis esse, si cogitas ad Domini fructum pertinere. Ergo Ecclesia sanctorum, Ecclesia catholica est. Ecclesia sanctorum non est Ecclesia hæreticorum. Ecclesia sanctorum illa est, quam præsignavit Deus antequam videretur; et exhibuit, ut videretur. Ecclesia sanctorum erat antea in codicibus, modo in gentibus: Ecclesia sanctorum antea tantummodo legebatur, nunc et legitur, et videtur. Quando solum legebatur, credebatur: modo videtur, et contradicatur. « Laus ejus in Ecclesia sanctorum. »

IV. « Lætetur Israël in eo qui fecit eum¹. » Quid est Israël? Videns Deum: hoc enim interpretatur nomen Israël. Qui videt Deum, in ipso lætetur, a quo factus est. Quid est ergo, fratres, quia diximus nos ad Ecclesiam pertinere sanctorum, numquid jam videmus Deum? Quomodo sumus Israël, si non videmus? Est quædam visio hujus temporis, erit altera visio futuri temporis: visio quæ modo est, per fidem est; visio quæ futura est, per speciem erit. Si credimus, videmus: si amamus, videmus: Quid videmus? Deum. Ubi est ipse Deus? Interroga Joannem: Deus charitas est². » Benedicamus nomen ejus sanctum; et gaudeamus in Deo, si gaudemus in charitate. Quisquis habet charitatem, ut quid illum mittimus longe, ut videat Deum? Conscientiam suam attendat, et ibi videt Deum. Si charitas ibi non habitat, non ibi habitat Deus: si autem charitas ibi habitat, Deus ibi habitat. Vult illum forte videre sedentem in cœlo; habeat charitatem, et in eo ha-

¹ Psal. cxliv, 4. — ² 1 Joan. iv, 16.

bitat sicut in cœlo. Ergo simus Israël, et lætemur in eo qui fecit nos. « Lætetur Israël in eo qui fecit eum. » In eo qui fecit eum lætetur, non in Ario, non in Donato, non in Cæciliano; non in Proculiano, non in Augustino (1). « In eo lætetur qui fecit eum. » Nos, fratres, non vobis commendamus: sed commendamus vobis Deum, quia commendamus vos Deo. Quomodo vobis Deum commendamus? Ut diligatis eum bono vestro, non bono ipsius: quia malo vestro eum non diligitis, non malo ipsius. Non enim minus habebit Deus Divinitatem, si homo in illum non habeat charitatem. Tu crescis ex Deo, non ille ex te: et tamen tantum nos dilexit prior¹, antequam eum diligeremus, ut Filium suum unicum mitteret mori pro nobis². Qui fecit nos, factus est inter nos. Quomodo nos ipse fecit? « Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum » est nihil. » Quomodo factus est inter nos? « Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis³. » Ergo ipse est, in quo debemus lætari. Nemo homo sibi arroget partes ipsius: ab ipso est lætitia, quæ nos facit felices. « Lætetur Israël in eo qui fecit eum. »

V. « Et filii Sion exultent in rege suo. » Ipse Israël, filii Ecclesiæ sunt. Quia Sion fuit quidem una civitas, quæ cecidit: in ejus reliquiis habitabant quidem sancti temporaliter; sed Sion vera et Jerusalem vera, (quia ipsa Sion, quæ Jerusalem,) æterna est in cœlis, quæ est mater nostra⁴. Ipsa nos genuit, ipsa est Ecclesia sanctorum, ipsa nos nutrit, ex parte peregrina, ex magna parte immanens in cœlo. Ex parte qua immanet in cœlo, beatitudo Angelorum est; ex parte qua peregrinatur in hoc sæculo, spes est justorum. De illa dictum est, « Gloria in excelsis Deo: » de hac dictum est, « Et in

¹ Joan. iv, 19. — ² Joan. iii, 16. — ³ Id. i, 3, 14. — ⁴ Gal. iv, 26.

» terra pax hominibus bonæ voluntatis¹. » Qui ergo in hac vita gemunt, et desiderant illam patriam, currant dilectione, non pedibus corporis: non quærant naves, sed pennas, duas alas charitatis apprehendant. Quæ sunt duæ alæ charitatis? Dilectio Dei, et proximi². Peregrinamur enim, suspiramus, gemimus. Venerunt ad nos litteræ de patria nostra, ipsas vobis recitamus.

VI. « Lætetur Israël in eo qui fecit eum, et filii Sion » exultent in rege suo. » Quod dixit, « Qui fecit eum; » hoc dixit, « In rege suo. » Quod audistis, « Israël: » id sunt « Filii Sion: » et quod audistis, « In eo qui fecit » eum; » hoc est, « In rege suo. » Filius Dei qui fecit nos, factus est inter nos: et Rex noster regit nos, quia Creator noster fecit nos. Ipse est tamen per quem facti sumus, qui est per quem nos regimur: et ideo Christiani, quia ille Christus. Christus a chrismate dictus est, id est, ab unctione. Reges autem ungebantur³, et sacerdotes⁴: ille vero unctus est Rex et Sacerdos: Rex pugnavit pro nobis, Sacerdos obtulit se pro nobis. Quando pro nobis pugnavit, quasi victus est, vere autem vicit. Crucifixus est enim, et de cruce sua, in qua erat fixus, diabolus occidit: et inde Rex noster. Unde autem Sacerdos? Quia se pro nobis obtulit. Date Sacerdoti quod offerat. Quid inveniret homo quod daret, mundam victimam? Quam victimam? Quid mundum potest offerre peccator? O inique, o impie, quidquid attuleris immundum est, et aliquid mundum pro te offerendum est. Quære apud te quid offeras; non invenies. Quære ex te quod offeras; non delectatur arietibus, nec hircis, nec tauris. Omnia ipsius sunt, etsi non offeras. Offer ergo illi mundum sacrificium. Sed peccator es, impius es, sed inquinatam

¹ Luc. ii, 14. — ² Matth. xxii, 40. — ³ 1 Reg. x, 1, et xvi, 13. — ⁴ Exod. xxx, 30.

conscientiam habes. Poteris forte aliquid mundum offerre, purgatus: sed ut purgeris, aliquid pro te offerendum est. Quid ergo pro te oblaturus es, ut munderis? Si mundatus es, poteris offerre quod mundum est. Offerat ergo se ipsum mundus sacerdos, et mundet. Hoc est quod fecit Christus. Nihil mundum invenit in hominibus, quod offerret pro hominibus: se ipsum obtulit mundam victimam. Felix victima, vera victima, hostia immaculata. Non ergo hoc obtulit, quod nos illi dedimus: imo hoc obtulit, quod a nobis accepit, et mundum obtulit. Carnem enim a nobis accepit, hanc obtulit. Sed unde illam accepit? De utero virginis Mariæ, ut mundam offerret pro immundis. Ipse Rex, ipse Sacerdos, in eo lætemur.

VII. « Laudent nomen ejus in choro¹. » Et chorus quid significat? Multi noverunt chorum: et quia in civitate loquimur, prope omnes norunt. Chorus est consensio cantantium. Si in choro cantamus, concorditer cantemus. In choro cantantium quisquis voce discrepuerit, offendit auditum, et perturbat chorum. Si vox inconvenienter cantantis disturbat concentum cantantium, quomodo disturbat hæresis dissonans concentum laudantium? Chorus Christi jam totus mundus est. Chorus Christi ab Oriente in Occidentem consonat. Videamus si tantum extenditur chorus Christi. Dicit Psalmus alius, « A solis ortu usque » ad occasum laudate nomen Domini². Laudent nomen » ejus in choro. »

VIII. « In tympano et psalterio psallant ei. » Quare assumit tympanum et psalterium? Ut non sola vox laudet, sed et opera. Quando assumitur tympanum et psalterium, manus concinunt voci. Sic et tu, si quando Alleluia cantas, porrigas et panem esurienti, vestias nudum, suscipias peregrinum; non sola vox sonat, sed et manus con-

¹ Psal. cxlix, 3. — ² Id. cxii, 3.

sonat, quia verbis facta concordant. Assumpsisti organum, et consentiunt digiti linguæ. Et ipsum mysterium tympani et psalterii non est tacendum. In tympano corium extenditur, in psalterio chordæ extenduntur: in utroque organo caro crucifigitur. Quam bene psallebat in tympano et psalterio, qui dicebat, « Mihi mundus crucifixus est, » et ego mundo¹. » Ipsum psalterium, velut tympanum tollere te vult, qui amat canticum novum, qui te docet quando tibi dicit, « Qui vult esse meus discipulus, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur » me². » Non dimittat psalterium suum, non dimittat tympanum: extendatur in ligno, et siccet a concupiscentia carnis. Nervi quanto plus fuerint extenti, tanto acutius sonant. Ut ergo acute sonaret Pauli Apostoli psalterium, quid dixit? « Quæ retro oblitus, in ea quæ ante » sunt extentus, sequor ad palmam supernæ vocationis³. » Extendit se ipse: tetigit Christus, et sonavit dulcedo veritatis. « In tympano et psalterio psallant ei. »

IX. « Quoniam benefecit Dominus in populo suo. » Quid tam beneficium, quam mori pro impiis? Quid tam beneficium, quam sanguine justo delere chirographum peccatoris? Quid tam beneficium, quam dicere, Non ad me pertinet quod fuistis, estote quod non fuistis? « Benefecit Dominus in populo suo, » dimittendo peccata, promittendo vitam æternam. Benefacit aversum convertere, pugnantem adjuvare, vincentem coronare. « Benefecit Dominus in populo suo. Et exaltabit mansuetos » in salute. » Exaltantur enim et superbi, sed non in salute. Mansueti in salute, superbi in morte, id est, superbi ipsi se exaltant, et Dominus eos humiliat; mansueti autem ipsi se humiliant, et Deus eos exaltat. « Et exaltabit mansuetos in salute. »

¹ Gal. vi, 14. — ² Matth. xvi, 24. — ³ Philip. iii, 13, 14.

X. « Exultabunt sancti in gloria¹. » Aliquid volo dicere : audite attentius de gloria sanctorum. Nemo est enim, qui non amet gloriam. Sed gloria stultorum popularis illa quæ dicitur, habet illecebram deceptionis, ut ad laudes vanorum hominum quisque commotus, velit sic vivere, ut prædicetur ab hominibus quibuscumque, quomodocumque. Hinc homines insani effecti, et inflati typho, inanes intus, foris tumidi, etiam res suas perdere volunt, donando scenicis, histrionibus, venatoribus, aurigis. Quanta donant, quanta impendunt? Effundunt vires, non patrimonii tantum, sed etiam animi sui. Isti fastidiunt pauperem, quia non clamat populus, ut pauper accipiat : clamat autem populus, ut venator accipiat. Illi ergo ubi eis non clamatur, nolunt erogare : ubi clamatur ab insanis, insaniunt, et fiunt omnes insani, et qui spectatur, et qui spectat, et qui donat. Insana ista gloria reprehenditur a Domino, improbatur ante oculos Omnipotentis. Et tamen, fratres mei, Christus sic impropereat suis, et dicit, Non a vobis accepi tantum, quantum acceperunt venatores ; et illis ut donaretis, de meo donastis : « Ego autem nudus eram, et non vestistis me. » Et illi, « Et quando te vidimus nudum, et non vestivimus te? » Et ille, « Cum uni ex minimis meis non fecistis, nec » mihi fecistis². » Sed eum vis vestire, qui tibi placet, in quo tibi Christus displicet. Vestire vis venatorem, quo forte victo erubescas : Christus nunquam vincitur ; et diabolum vicit, et pro te vicit, et tibi vicit, et in te vicit. Talem victorem vestire non vis. Quare? Quia minus clamatur, quia minus insanitur. Propterea isti qui tali gloria delectantur, in conscientia sua nihil habent. Quomodo exhauriunt arcas, ut vestes mittant; sic exinaniunt ipsam conscientiam, ut nihil ibi habeant pretiosum.

¹ Psal. cxlix, 5. — ² Matth. xxv, 43-45.

XI. Sancti autem qui exultant in gloria, quomodo exultent, non opus est ut nos dicamus : ipsius Psalmi audite sequentem versum. « Exultabunt sancti in gloria : » lætabuntur in cubilibus suis. » Non in theatris, non in amphitheatris, non in circis, non in nugis, non in foris ; sed « In cubilibus suis. » Quid est, « In cubilibus suis? » In cordibus suis. Audi apostolum Paulum exultantem in cubili suo : « Nam gloria nostra hæc est, testimonium » conscientiæ nostræ¹. » Rursum timendum est, ne quisque apud se ipsum fiat sibi placens, et quasi superbus de conscientia sua gloriatur. Debet enim quisque cum tremore exultare² : quia donum Dei est unde exultat, non meritum suum. Etenim sunt multi sibi placentes, et justos se esse arbitantes ; et procedit adversus illos alia pagina dicens, « Quis gloriabitur castum se habere cor ; aut quis » gloriabitur mundum se esse a peccato³? » Est ergo quidam modus in conscientia gloriandi, ut noveris fidem tuam esse sinceram ; noveris esse spem tuam certam, noveris charitatem tuam esse sine simulatione. Sed quoniam multa sunt adhuc forte quæ possunt offendere oculos Dei : lauda Deum qui tibi ista donavit, tunc perficiet quod donavit. Propterea cum dixisset, « Lætabuntur in cubilibus suis : » ne quasi sibi placentes viderentur, adjunxit statim, « Exultationes Dei in faucibus eorum⁴. » Sic lætabuntur in cubilibus suis, ut non sibi tribuant quod boni sunt, sed illum laudent a quo acceperunt quod sunt, a quo vocantur ut perveniant ad id quod nondum sunt, et a quo sperant perfectionem ; cui gratias agunt, quia inchoavit. « Exultationes Dei in faucibus eorum. » Jam videte sanctos, videte gloriam eorum, videte per universum mundum, videte quod « Exultationes Dei sint in faucibus » eorum. »

¹ 2 Cor. i, 12. — ² Psal. ii, 11. — ³ Prov. xx, 9. — ⁴ Psal. cxlix, 6.

XII. « Et frameæ bis acutæ in manibus eorum. » Framea appellatur, quam vulgo spatam dicunt. Sunt enim gladii ex una parte acuti, ipsæ sunt machæræ. Ipsæ autem frameæ, ipsæ et romphææ, ipsæ etiam spatæ appellantur. Magnum mysterium habet hoc genus ferramenti, quod ex utraque parte acutum est. Ipsæ « Frameæ sunt » bis acutæ in manibus eorum. » Frameas bis acutas intelligimus sermonem Domini: et una framea est; sed ideo multæ dicuntur, quia multa ora sunt, et multæ linguæ sanctorum. Sermo ergo Dei, gladius bis acutus¹. Unde bis acutus? Dicit de temporalibus, dicit de æternis. In utroque probat quod dicit, et eum quem ferit, separat a mundo. Nonne ipse est gladius, de quo Dominus dicit, « Non veni pacem mittere in terram, sed gladium ?? » Attende quomodo venit disjungere, quomodo venit separare. Disjungit sanctos, disjungit impios, separat a te quod te impedit. Filius vult servire Deo, pater non vult: venit gladius, venit sermo Dei, dividit filium a patre. Filia vult, mater non vult: gladio dividuntur ab invicem. Nurus vult, socrus non vult: veniat gladius bis acutus, afferat promissionem vitæ præsentis et futuræ, consolationem temporalium, æternorum perfruitionem. Ecce gladius ex utraque parte acutus, promittens temporalia et æterna. In quo nos fefellit? Nonne Ecclesia Dei per totum mundum non erat? Ecce est. Antea legebatur, et non videbatur: modo sicut legitur, ita cernitur. Quidquid temporaliter nobis promissum est, ad unam partem gladii pertinet: quidquid sempiternum, ad alteram partem gladii pertinet. Habes spem futurarum rerum, habes consolationem præsentium, noli retrahi ab eo qui vult retrahere: pater, mater, soror, uxor sit, amicus sit, non te retrahat; et utilis tibi erit gladius bis acutus. Utiliter

¹ Hebr. iv, 12. — ² Matth. x, 34.

te ille separat, male tu conglutinas. Venit ergo Dominus noster ferens gladium bis acutum, promittens æterna, implens temporalia. Nam ideo et duo Testamenta dicuntur. Quæ erant ergo « Frameæ bis acutæ in manibus eorum? » Duo Testamenta ad gladium bis acutum pertinent? Vetus Testamentum terrena promittit, Novum æterna. In utroque sermo Dei verax inventus est, ut gladius bis acutus. Quare ergo in manibus, et non in linguis? « Et frameæ bis acutæ, inquit, in manibus eorum. In » manibus » dixit, in potestate. Acceperunt ergo sermonem Dei in potestate, ut ubi vellent dicerent, cui vellent dicerent; non timerent potestatem, non contemnerent paupertatem. In manibus enim habebant gladium, quæ volebant vibrabant, versabant, percutiebant: et hoc totum erat in potestate prædicantium. Nam si non est in manibus sermo, ne forte aliquis dicat, Quomodo sermo est gladius bis acutus, et quomodo in manibus? Si ergo sermo non est in manibus, quare scriptum est, « Factus » est sermo Domini in manu Aggæi prophetæ¹? » Numquid, fratres, sermonem suum Deus in digitis ipsius fecit? Quid est, « In manu ipsius factus est? » In potestate illi datum est prædicare sermonem Domini. Postremo possumus etiam has manus aliter intelligere. Nam qui locuti sunt, in lingua habuerunt sermonem Dei; qui scripserunt, in manibus. « Et frameæ bis acutæ in manibus eorum. »

XIII. Jam, fratres, videtis sanctos armatos: attendite strages, attendite gloriosa prælia. Si enim imperator, et miles; si miles, et hostis; si bellum, et victoria. Quid fecerunt isti habentes in manibus frameas bis acutas? « Ad faciendam vindictam in gentibus². » Videte si non est vindicta facta in gentibus. Quotidie ipsa fit, hoc agimus et nos loquendo. Attendite quomodo cæsæ sunt gentes Babylo-

¹ Aggæi, 1, 1. — ² Psal. cxliv, 7.

niæ. Illi redditur duplum : sic enim de illa scriptum est, « Reddite illi duplum, ad quod fecit¹. » Quomodo redditur duplum? Bellant sancti, educunt frameas bis acutas; fiunt strages, fiunt occisiones, separationes : quomodo illi duplum redditur? Illa quando poterat persequi Christianos, carnem occidebat, Deum non confringebat : modo illi duplum redditur; et pagani extinguuntur, et idola franguntur. Quomodo, inquires, pagani occiduntur? Quomodo, nisi cum Christiani fiunt? Quæro paganum, non invenio, Christianus est : ergo mortuus est paganus. Nam si non occiduntur, unde dictum est Petro, « Macta, et » manduca²? » Unde ipse Saulus occisus est persecutor, et Paulus erectus est prædicator? Quæro Saulum persecutorem, et non invenio, occisus est³. Unde? De framea bis acuta. Sed quia occisus est in se, et vivificatus est in Christo, ideo confidens, dicit : « Vivo autem jam non ego, » vivit autem in me Christus⁴. » Quomodo illi fit, sic per illum. Etenim cum factus esset prædicator, accepit et ipse in manibus frameam bis acutam, « Ad faciendam vindictam in gentibus. » Et ne vere tu putares homines ferro percuti, sanguinem fundi, vulnera in carne fieri, sequitur, et exponit, « Objurgationes in populis. » Objurgatio quæ est? Corruptio. Procedat ex vobis framea bis acuta, nolite cessare, dedit illam vobis Deus pro modulo vestro : Qualis homo es, quia idola colis? Dic amico tuo, si tamen remansit cui dicas, Qualis homo es, qui dimisisti eum a quo factus es, et adoras quod fecisti? Melior est faber, quam quod fabricat faber. Si fabrum adorare erubescis, quod faber fecit, non erubescis? Cum cœperit erubescere, cum cœperit compungi, fecisti vulnus de framea; pervenit ad cor, moriturus est ut vivat. « Frameæ

¹ Apoc. xviii, 6. — ² Act. x, 13. — ³ Id. ix, 4. — ⁴ Gal. ii, 20.

» bis acutæ in manibus eorum, ad faciendam vindictam in gentibus, objurgationes in populis. »
 XIV. « Ut alligent reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in vinculis ferreis. Ut faciant in eis iudicium conscriptum¹. » Facile exposuimus quomodo de frameis cadant ut exurgant, separentur ut congregentur, vulnerentur ut sanentur, moriantur ut vivant : sed quid faciemus? quomodo exponemus, « Ad alligandos reges eorum in compedibus? » Reges gentium alligandi in compedibus; « Et nobiles eorum in vinculis, » addidit « ferreis. » Adestote, ut agnoscatis quod nostis. Isti enim versus, quos cœpimus exponere, obscuri sunt : sed illud quod ex illis dicturus sum, non est novum. Jam notum est vobis; modo non discere opus habetis, sed commemorari. Ad hoc autem voluit Deus obscure ponere quosdam versus suos, non ut aliquid novum de illis eruatur; sed ut quod jam usitatum erat, obscuris expositis innovetur. Novimus reges factos Christianos, novimus nobiles gentium factos Christianos. Sunt hodieque, et fuerunt, et erunt, et non cessant frameæ bis acutæ in manibus sanctorum. Quomodo ergo ligatos compedibus et vinculis ferreis intelligimus? Scit Charitas Vestra et eruditio, (quia in Ecclesia nutriti estis, et soletis audire divinas lectiones,) « Quoniam infirma mundi elegit Deus, ut confunderet » fortia: et stulta mundi elegit Deus, ad confundendos » sapientes; et ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, » ut quæ sunt evacuentur. » Sic enim ait Apostolus : « Videte enim vocationem vestram, fratres, quia non » multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, » non multi nobiles; sed stulta mundi elegit Deus; et » infirma mundi, ut confunderet fortia; et ignobilia et » contemptibilia elegit Deus, et ea quæ non sunt tan-

¹ Psal. clix, 8, 9.

» quam ea quæ sunt, ut ea quæ sunt evacuentur¹. » Venit Deus Christus prodesse omnibus: sed elegit prodesse imperatori de piscatore, non piscatori de imperatore; et elegit ea quæ nullius momenti erant in mundo. Ipsos implevit Spiritu suo; dedit eis frameas bis acutas, prædicare præcepit Evangelium, et ire per totum orbem terrarum². » Fremit mundus, erexit se leo adversus agnum: sed fortior leone inventus est agnus. Leo victus est sæviendo, agnus vicit patiando. Conversa sunt corda hominum ad timorem Christi, cœperunt reges, cœperunt nobiles miraculis commoveri, prophetiæ adimpletione turbari, videre in unum nomen concurrere genus humanum. Et quid facerent? Multi elegerunt ignobilitatem, et dimittentes domos suas, substantias suas distribuentes pauperibus, cucurrerunt ad perfectionem. Tali enim imperfecto dicitur a Domino, « Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, » et da pauperibus, et veni, sequere me, et habebis thesaurum in cœlis³. » Multi ex nobilibus fecerunt hoc: sed cessaverunt isti nobiles esse gentium, elegerunt paupertatem in sæculo, nobilitatem in Christo. Multi autem tenent ipsam nobilitatem, tenent regias potestates, et sic sunt Christiani. Ipsi sunt tanquam in compedibus, et tanquam in vinculis ferreis. Unde hoc? Ne progredierentur ad illicita, compedes acceperunt; compedes sapientiæ, compedes verbi Dei.

XV. Quare ergo vincula ferrea, et non vincula aurea? Ferrea sunt quandiu timent: ament, et aurea erunt. Attendat Charitas Vestra quid loquar. Audistis modo apostolum Joannem: « Timor non est in charitate, sed » perfecta charitas foras mittit timorem, quia timor » tormentum habet⁴. » Hoc est vinculum ferreum. Et

¹ I Cor. 1, 26-28. — ² Matth. xlviii, 19. — ³ Id. xix, 21. — ⁴ I Joan. iv, 18.

tamen nisi timore incipiat homo Deum colere, non perveniet ad amorem. « Initium sapientiæ timor Domini¹. » Incipit ergo a vinculis ferreis, finitur ad torquem aureum. Dictum est enim de Sapientiâ, « Et torquem aureum » circa tuam cervicem². » Non tibi imponeret torquem aureum, nisi primo in compedibus ferreis te alligasset. Cœpisti a timore, consumaris ad sapientiam. Quam multi sunt, qui propterea nolunt male facere, quia gehennas timent, quia cruciatus timent? Nondum amant justitiam. Si illis promitteretur impunitas, et diceretur eis, Facite quod vultis securi, impunitum vobis erit: emitterent progressus libidinum suarum in quæque nequissima. Et maxime, fratres mei, maxime reges et nobiles, quibus non facile dicitur, Quid fecisti? Nam pauper homo, etsi non timeat Deum; quia nullarum virium est, nullarum facultatum; ne cum se commoverit, in supplicium rapiatur, cessat timore hominis, etsi non Dei. Potentes autem mundi, reges, nobiles, nisi Deum timeant, quid timebunt? Sed prædicatur illis, et percutiuntur framea bis acuta. Dicitur illis, quia est qui ponat alios ad dexteram, alios ad sinistram; ut dicat eis qui a sinistris sunt, « Ite in ignem » æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus³. » Nondum diligunt justitiam, sed timent pœnam: et timendo pœnam, jam acceperunt compedes, et in vinculis ferreis erudiuntur. Venit ad nos homo de sæculo potens, offendit illum uxor sua, aut forte concupivit alterius pulchriorem, aut alteram ditioem: vult dimittere eam quam habet, et non facit. Audit a servo Dei, audit a Propheta, audit ab Apostolo, et non facit: audit ab eo in cujus manibus est framea bis acuta, Non facies, non licet tibi, non permittit Deus dimittere uxorem, excepta causa fornicationis⁴. Audit hoc, timet, et non facit. Pedes leves

¹ Psal. cx, 10. — ² Eccli. vi, 25. — ³ Matth. xv, 41. — ⁴ Id. v, 32.